

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Deus t
cum fonte primo

Quid est Deus?

Longitudo, latitudo, sublimitas, profundum.
Longitudo propter eternitatem,
latitudo propter caritatem,
sublimitas propter maiestatem,
profundum propter sapientiam.

Deus amat ut caritas, nouit ut ueritas,
sedet ut equitas, dominatur ut maiestas,
regit ut principium, tuetur ut salus,
operatur ut uirtus, reuelatur ut lux,
assistit ut pietas.
Que omnia faciunt et angeli, facimus et nos,
sed longe inferiori modo,
non utique bono quod sumus
sed quod participamus.

Bernardus de consideratione.

Quid est Deus?

Bernardus Claraeuallensis, *De consideratione libri V.*, 5.13 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.477, l.21).

Et illa una res est
longitudo propter aeternitatem,
latitudo propter caritatem,
sublimitas propter maiestatem,
profunditas propter sapientiam.

Bernardus Claraeuallensis, *De consideratione libri V.*, 5.29 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.492, ll.3-5).

Sed Deus amat ut caritas, nouit ut ueritas,
sedet ut aequitas, dominatur ut maiestas,
regit ut principium, tuetur ut salus,
operatur ut uirtus, reuelat ut lux,
assistit ut pietas.
Quae omnia faciunt et Angeli, facimus et nos,
sed longe inferiori modo,
non utique bono quod sumus,
sed quod participamus.

Bernardus Claraeuallensis, *De consideratione libri V.*, 5.12 (SBO 3, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.476-7, ll.26, 1-4).